

## ERICO WOYTEK

philosophiae magistro atque doctori,  
philologiae classicae professori,  
qui tria per decennia litteras Romanas et antiquiores et posteriores  
sagacissime perscrutabatur nec non felicissime docebat,  
legibus rei publicae in libertatem investigandi demum vindicato  
hoc volumen dicatum voluerunt  
collegae, sodales, amici.

Euge, Reate, tuus, primus ducente Menippo  
Scribere qui saturas doctius ausus erat,  
Lingua quique parum communi stulta notavit  
ILLIUS ex studiis claret honore magis.  
Sarsina quidquid habet risusque salisque procacis,  
Claro ILLE ingenio repperit ac docuit.  
Quaeque fides esset teneri lusoris amorum,  
Sive Iovis laudes seu caneret Veneris,  
Idem ILLE explicuit subtiliter omnia pendens:  
ILLIUS arte nova, quae latuere, patent.  
ILLE etiam inveniet, cur oderit et sub eodem  
Veronense decus tempore amare queat.  
Quaeque Amiternigena scriptor non scripserit, ILLE  
Pandit more suo nubila discutiens.  
Temet et ILLE colit, laudator principis optimi  
Atque novus Comi fautor et almus honor.  
Mox Nisi natae pennas qui adiunxerit auctor,  
ILLIUS ingenio percipe, posteritas!